



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvatii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

Enumeratio beneficiorumparticulariu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

PARS PRIMA. 25

O cœlum. O terra, O aqua. O ignis. *omnes ad*
O Lupi. O Ursi. O Leones. O Tigres. *vindictam*
ac cœtera immanitate singulari *sumendam*
animalia, venite, dilaniate ac discer- *advocate.*
pite miserū hōc corpus. O Serpen-
tes. O Dracones, cunctæque vene-
nosæ bestię, venite, mordete, ac di-
lacerate, me impiam & sceleratam.
O creaturæ Dei omnes, adeste ad-
versum iniquam & flagitiosam hanc
animam, & ultionem iniuriarum &
offensarum, quibus Dominū, Crea-
torem, & Deum vestrum impuden-
ter ac nefariè affecit, ab ea expo-
scite.

*Deinde diuina beneficia speciatim
sibi collata, enumerat:
dicendo.*

O Domine, quantis, præter gene-
ralia prædicta, specialibus be-
neficijs, iniquam & ingratham hanc,
animam dicam an cadauer, aut foe-
dam vilissimamq; bestiam, tibi ob-
ligasti?

O ingratiſſima & iniquiſſima a-
nima mea considera tecum paulif-
per;

*Beneficia
particularia
enumerat.*

per; quam multos te digniores, te potentiores, & te melius per diuinam gratiam ad suscipiendum influxum coelestium charismatū preparatos, Deus in misericordijs & sceleribus suis reliquit, à quibus te per summam clementiam suam liberauit?

*Admiratur
anima quod
Deus eam
respexerit.*

O Domine ad quem respexisti aut in quem defixisti oculos? In stercore & lutum: In creaturam impurissimam: In cloacam & sentinam totius spurcitiei. O quanta hæc tua fuit clementia, quod plurimos in tenebris suis immeros relinquendo, me improbam & obstinatam, è profundis voraginibus & tenebrosis abyssis scelerum eduxisti, atq; violentia salutari ad splendidissimam lucem incommutabilis veritatis tuæ reduxisti.

O pijsime ac clementissime Domine: O pater amantissime: Quam multos (quod beneficium maximū est) qui tibi feruentius inseruierunt, minusq; te offenderunt quam ego, deseruisti: qui in peccatis mortui, ad sempiterna gehennæ incendia deuolu-

uoluti sunt, è quibus nullo vnquam
tempore emergere poterunt, sed in
omnem æternitatem torquebuntur:
& mihi qui nullum tibi seruitium
impendi, sed Dæmoni contempta
summa maieitate tua, continuo ad-
hæsi, ac famulatus sum, arrhabo-
nem gratiæ tuæ in præfenti vita do-
nasti, atque in futura vita cœlestem
gloriam (vti confido) asseruas?

Heu Domine benignissime, Pater
misericordiarum & Deus totius con-
solationis, tam innumerabilia &
immania sunt scelera mea vt pro ijs
satisfacere nequeam: Et tanta in-
super est mea pro immensis beneficijs,
quas in me larga manu contulisti,
ingratitude, vt ea nulla ex parte re-
metiri, aut parem illis gratiam re-
ponere valeam: imò potius propter
malitiam & ingratitude meam
totidem infernos commerita sim.

Veruntamen cum neque possim, *Rogat Dei*
neque debeam mihi metipsum manus *vt se occid*
violentas adferre, mortemque con- *aut Angel*
sciscere: tu me potius occide atque *exterminis*
interfice: & si hoc ipsum animus *tor is*

B tuus

*Exaggerat
anima sua
iniquitate*

*Rogat Dei
aut Angel
exterminis
tor is*

*ministerio
necet.*

tuus (pro ea quae praeditus est pietate
atque benignitate) neutiquam pati-
tur, Angelum tuum exterminato-
rem mitte, qui me perimat, occidat
atque seueram de me ultionem ca-
piat. Si autem nec hoc (pro immen-
sa qua es clementia & benignitate)
facere voles, quandoquidem me ip-
sum interficere nequeo, hoc tamen
quod possum faciam: Itaque me-
metipsum tibi tanquam homicidam,
& praedonem, vinctum & catenis
post terga religatum, in perpetuum
mancipium, donabo: vt tibi soli per-
petuo seruiam, nec vnquam ex his
me vinculis, quae ipsa mihi circum-
dedi, expedire aut a te separari va-
leam.

*Doret se o-
tam Christo.*

*Instruitur
quid post
hanc facere
debeat.*

Hoc peracto, abijce te toto cor-
pore in terram, imò contende pra
humilitate ipsam terram penetrare,
atque subtus ipsam esse; vt sic te ip-
sum quam profundissime sub diui-
na maiestate humilies, deprimas, &
contemnas: Diuinam vero maiesta-
tem extollas atque laudibus efferas.
quanto nanque maior fuerit humi-
litas

litas tua, tanto singulariorem sperare debes te consecuturum misericordiam: Quia Deus benignissimus Pater, cum te sic humiliatum conspexerit, amplius se continere non valebit, quin in amplexus tuos ruat, tibi gratiam largiatur, verumque de peccatis dolorem, aut certè dolorem de eo, quod ita ut par est, de peccatis tuis conteri nequeas, infundat.

Si prima nocte, qua exercitium hoc exercueris, hanc gratiam non concesserit, tu nihilofecius sequentibus noctibus illud maiori cum affectu, deuotione ac feruore prosequere, quia tandem animum eius superabis.

Verùm si hoc ad contritionem excitandam non suffecerit, adiunge singulis noctibus huic exercitio flagella, & corpus tuum crebris ictibus afflige, atq; toto corde ad Deum clama. *Deus, Pater mi, miserere mei. Deus, Pater mi, miserere mei. Deus ne derelinquas me. Deus ne proijcias me à facie tua.*

*Instruitur
ut corpus
flagellet.*

B a

Atque

Atque in his ad spatium quartæ partis vnius horæ, vel media hora, aut quamdiu tibi visum fuerit, debita discretione seruata, persistendo, corpus virgarum ictibus cædē.

Deinde iterum toto corpore prostratus in terram, atque profundissimè coram Deo humiliatus, dices. Ecce Domine, hîc ante pedes tuos, in oculis atque conspectu tuæ maiestatis moriar, quandoquidem omni ope tua destituiisti me. Certissimè tibi persuadeas, si ita egeris, quod Deus viscera misericordiæ suæ ultra abscondere non valebit, quin gratiam suam tibi impertiatur, maximè, si flagellatio, quæ præcessit, tam feruida & acris fuerit, vt sanguinem prolicuerit.

*Informatur
quemodo
exercitium
hoc termi-
nare debeat.*

Nihilominus si faciem suam necdum ostenderit, bono animo esto, id enim agit, vt postea maiori gratiarum & consolationum suarum abundantia te perfundat. Quare ne frustraneo labore consumaris: erige te demum in genua, & manibus ad coelum sublatis, exercit' huic finem

PARS PRIMA. 29

nem impone, inuocatione illa quã
in hortulo, quem de sancta oratio-
ne conscripsi, tradidimus: sic enim
secura eris, te maiora etiam votis
impetraturum, ad laudem & glo-
riam totius coelestis curiæ. Amen.

IN NOMINE
PATRIS, ET FILII,
ET SPIRITVS SANCTI,
Amen.

De Maculis Anima.

CAPVT I.

LA V ²⁹ *a malitia cor tuum Ierusalem, Ier. 4.*
vt salua fias. Singulari cum pri-
mis diligentia, tibi ò anima quac-
unque angustam perfectionis se-
mitam inire contendis, opus est: in
corde ab omni malitia, cunctisque
scelerum, & passionum maculis e-
luendo & expurgando: in quibus
non tantum vniuersis, sed etiam sin-
gulis mundandis strenuam te ope-
ram collocare oportebit. Quod vt
eo facilius agere possis, omnes ani-

B 3 mi